



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpurga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>


Ingolstadii, 1617

VII. De anno natalis S. VWillibaldi. S. VVunibaldi & S. VWalpurgæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

CAPVT VII.

De anno natalis S. Willibaldi, S. Wunibaldi, & S. Walpurgæ.

 Mnia incerta sunt; & cæcis tenebris immerfa. Communis persuasio est, Wunibaldum Willibaldo seniore fuisse; & utroque iuniorem Walpurgam. Ex iis autem, quæ Philippus & vetera monumenta de Episcopatu S. Willibaldi tradunt, ducimur aliquo modo ad ipsa incunabula; nam anno Domini DCC. XLV. dicitur à S. Bonifacio Episcopus Eystereensis creatus, ætatis suæ anno XL I. sequitur ergo eum in lucem editum anno virginæ partus DCC. IV. Dicitur mortuus anno salutis DCC. LXX XI. anno ætatis suæ LX XVII. Idem ergo quod antea concludimus, nempe natum esse anno DCC. IV.

S. Wunibaldus mortalitatem expleuisse traditur anno Christi DCC. LX. Ætatis suæ anno LX. Natus est ergo anno Redemptoris DCC. Colligitur idem ex hoc impolito Epigrammate quod olim Heidenheimij, priusquam à Luthero occuparetur, legebatur.

*Hic Wunibaldus, Richardi filius almus,
Qui regnum Anglorum mox relinquens, hoc Adonachorij
Claustrum fundavit Benedicti q̄ rigauit
Nomine, septingento, quinquagesimo q̄ anno,*

cum autem Abbatie Heidenheimensi anno DCC. L. adificata per decennium præfuerit, conficitur, eum decimo à condita Abbatia anno ex vita abuisse, anno scilicet DCC. LX. suæ verò ætatis LX.

In manuscripto codice Monasterij Walpurgini, quod est Eychstadij, quo vita S. Walpurgis continetur, quidam ubi de obitu agitur, ad marginem adscripsit: *obiit anno DCC. LXXVI.* Ergo sexdecim annis post Wunibaldum, & quinquennio ante sanctum Willibaldum.

De anno ætatis & natalis S. Walpurgis nil meminime legere. Philippus in Commentario dicit, Willibaldum fuisse iuniorem Wunibaldo & Walpurga. Senior igitur Willibaldo Walpurgis.

CAPVT VIII.

*De ingressu S. Willibaldi in Monasterium:
Et num vetera Monasteria nil aliud
fuerint, quàm schola literaria.*

QVINTO ætatis anno consecrarunt parentes ex voto puerulum Willibaldum Monasterio Waltheimensi sub Abbate Egilvaldo. Si quæras, quo fine; respondebunt Catholici, ut pietate & doctrina erudiretur eousque, donec maturior factus, Deo in perpetuum ex S. Benedicti norma & disciplina sese obligaret. At Hæretici longè aliud responsum dabunt, nempe Willibaldum eò missum, ut inibi literis & morum honestate informaretur; hisq; probè excultus Reipublicæ postea utilem operam nauaret; nam veterum Monachorum Monasteria nihil aliud fuisse, quàm scholas & publica ingenuarum disciplinarum gymnasia.

Si quis sciscitetur, num omnia antiquorum Monasteria fuerint scholæ: quidam ex heterodoxorum numero adeò effrenes & effrontes sunt, ut id de omnibus

bus